

a Philosophis sic dicti ; sed eos ad Physicas extendere res, esset pulcherrimum Creatoris ordinem, juxta quem hæc mundana regit corpora, turbare.

§. III.

Cognitio per sensus s. Experiencia est imperfecta.

Jam in secundo §. expositionem dedimus Experienciae, notandum saltim adhuc est ; 3. ejus vulgo recenseri species. Ima est, quando ope sensoriorum exteriorum fortuitò & aliud fere agendo rerum naturarum phœnomena percipi-
mus, de ulteriore applicatione & usu harum per-
ceptionum parum solliciti, & hæc species admo-
dum est simplex : altera est, quando præmeditate
sine præcognitione tamen illorum, quæ contin-
gere possunt varia in Physicis tentamus. Ter-
tia denique est, quando prælucente ratione con-
filio veritatem aut falsitatem rei inquirimus ; po-
steriores duas species cum sensus eas clare & di-
stincte percipiat, sua certitudine instrui non ne-
gabimus, imperfecta tamen manebit cognitio
per experientiam, non ideo, ac si falleremur, cum
ei innitimus, sed quod ad paucas saltim res se ex-
tendat, nec interiorem fiendi modum nobis de-
monstret. Clarius res tota erit, ubi per singulos
sensus examinare eam voluerimus. Ordinemur
ab olfactu, sensu quando reliqui deficiunt de-
mum se exerente ; sed quid circa corporum efflu-

B

via,